



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. LIX. De præostensa B. Iosepho B. Engelberti cæde, ex alio Tractatu
testimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

190 VITA B. IOSEPH
ter illud, pro certo potuimus compe-
rire; quod tamen cum non solummo-
dò credimus tenuisse. Tunc accedens
ad iuuenem sæpè dictum, quod eue-
nerat, enarrauit: sed sub seueritate pro-
hibuit, ne, quàm diu viueret, secretum
hoc cuiquam præsumeret publicare.

CAPVT LIX.

*Cùm caput
hoc omnino
sit idè cum
33. videtur
aliunde de-
sumptum,
vel ab alio
descriptum
qui vitam
S. ENGEL-
BERTI cõ-
scripsit.
Vide infe-
rius Nota-
tiones no-
stras.*

*Videtur
hinc posse
colligi, au-
ctore huius
Capitis nõ
fuisse Cano-
nicũ Steiu-
ueldẽsem.*

*De præostensa B. IOSEPHO B. EN-
GELBERTI cede, ex alio Tractatu
testimonium.*

SVBNECTERE autem dignum duxi,
sin calce huius Libelli, ad omnium
eorum, quæ præmissa sunt, corrobora-
tionem, manifestam visionem Dei
Sacerdotis, Fratris I O S E P H, in Eccle-
sia Steiueldensi, Ordinis Præmon-
stratensis, Coloniensis Diœcesis: cui
visioni tantò firmior fides est adhi-
benda, quantò præfata Ecclesia viros
religiosos semper habuisse dignosci-
tur; præsertim cùm & idem I O S E P H
(cui

(cui hæc visio reuelata fuit) tam bonæ fuerit opinionis, tamque probatæ conuersationis, vt de testimonio ipsius nequaquam debeat dubitari. Cùm igitur Ioseph noster staret sub nudo aëre in prima vigilia noctis, & more solito preces Altissimo devotas effunderet; circumfulsit eum lux ignea magnæ claritatis. Ipse verò timore correptus, direxit aspectum versus Aquilonem: & ecce, in eadem plaga cæli vidit cælum apertum, vnde lux illa emicuit; & iuxta aperturam gladium latum quidem, sed breuem. Cùmque eadem hora Luna naturalis in Meridionali plaga multa claritate fulgeret; vidit in Aquilone aliam similitudinem Lunæ, cuius claritas tanta fuit, vt naturalem Lunam ferè penitus obscuraret. Quæ paulatim *apertura, quæ patuit in Aquilone, in cælum recepta est: & statim gladius ille, qui in eadem regione videbatur, disparuit. IOSEPH verò visione perterritus, cùm ad lectū

pro-

* MS. habebat aperturam, sed legendum apertura, aut certè deesse videtur appropinquans.

proprium rediisset, & cum nimia admiratione, quid hæc visio portenderet, in animo anxius volutaret, nec plenè dormiens, nec perfectè vigilans; audiuit vocem claram, sibi manifestè dicentem: Quod vidisti, mortem significat ENGELBERTI, Colonienfis Archiepiscopi; & ita gloriosè, vt vidisti Lunam illam in cælum recipi, ita anima eius, in egressu corporis suscipietur in cælum, & ita gloriosè fulgebit coram Domino. Sed iam dictus IOSEPH, voci, sibi visionem exponenti, minimè credens (quia credebat sibi aliqua phantasia illudi, eò quòd hominem illum in carnis voluptatibus enutritum, * & maximè in eminentia sæcularis dignitatis excellentem, nequaquam crederet, de tanta gloria temporali ad æternam gloriam in momento transferri) exemplo Zachariæ, verbis Angeli minimè credentis, fuit ad credendum compulsus. Nam beatissimo Martyre per martyrium

* MS. habebat tenuit, sed erat superfluum.

ORDINIS PRAEMONST. 193
rium consummato, vehementi oculorum dolore correptus, cum ad sepulchrum eiusdem Martyris, secundum consuetudinem, cereos misisset ocellos, pristinam meruit protinus recipere sanitatem. Sicque vir sanctus postea cognouit, indicio eorum qui passionis locum, respectu loci illius in quo viderat visionem, agnoscere, & ipsi demonstrare potuerunt, super eundem locum sibi visionem ostensam, in quo gloriosus Martyr in breui postea calicem salutaris passionis bibiturus fuerat. Ostensa autem fuit haec visio viro sancto non per somnum vel alium excessum, sed vigilantibus: anno gratiae millesimo ducentesimo vigesimo quinto, circa Festum S. Gereonis.

Deest huic Tractatui felix obitus Viri sancti, adeoque remansit imperfectus; nisi forte propterea Auctor eundem non adscripserit, quod diffusè satis in sequenti Tractatu, qui primo scriptus est, de eo egisset. Vide Notationes nostras.

N TRA-